5

ULYSSIS JOSEPHI

S. R. E. CARDINALIS

G O Z Z A D I N I

BONONIENSIS

VITÆ COMPENDIVM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BONONIÆ, MDCCXXVIII.

Ex Typographia Bononienſi Sancti Thomæ Aquinatis.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

D. ALEXANDRO SALAROLI

CLER. REG. EX-GENERALI

Sacræ Congregationis Indicis Conſultori, ac Serm̃i Poloniar. Regis Theologo.

S. P. D.

JOANNES BAPTISTA RONDONI.

REM *mihi gratiſſimam, atque in luctuoſo rerum mearum ſtatu neceſſariam quidem feciſti Vir ſpectatiſſime, cum me in obitu ampliſſimi Cardinalis Gozzadini acerbiſſimo dolore confectum ad conſtantiam, & animi firmitatem exemplo, literiſque tuis es cohortatus. Quod ſanè humanitatis officium eò mihi jucundius contigiſſe fateor, quominus illud à te expectabam; non quod benevolentiam ergà me tuam, cujus plurima in dies argumenta accepi, ignorare poſſem, ſed quod tibi ipſi unà mecum pari mœrore, parique jacturâ affecto levamen potius quæri oportere, quàm aliis à te dari poſſe putaveram; Qua de re, quas humanitati tuæ gratias agam, nullas certè ſatis dignas invenio. Cæterum quod ad defuncti Cardinalis res geſtas, quarum epitomen iſtic à pluribus efflagitari ſcribis, & ſi valde dubitem, ne id à me poſtules, quod nec*

promittere audeam, nec ſi promiſerim præſtare valeam, hoc præſertim tempore quo ex accepto vulnere animus non dum ſanatus eſt, aliiſque curis exagitatur; attamen cum nulla profectò res ſit, quam tuâ cauſſâ, tuoque juſſu non libenter ſuſcipiam, nonnulla de tanto Viro, quorum locuples teſtis ego eſſe poſſim, ſummatim collecta, carptimque recenſita ad Te mitto, eo certè animo, ut qualiacumque illa ſint, tuo prorſus judicio, tuæque emendationi ſubjiciantur: Cum enim ipſe fueris diuturna conſuetudine, ac familiaritate ampliſſimo Cardinali maximè acceptus, atque conjunctus, Te pleraque latère non poſſunt earum Virtutum, quas ego per annos undeviginti, quibus apud illum perpetuò fui, admiratus ſum planè, atque ſuſpexi. Excipe igitur eâ, qua ſoles, humanitate hæc pauca, quæ de ſummo Viro, ne tuæ potius voluntati diſpliceam, quàm ut mea ſatisfaciam, brevi, ſimplicique narratione exaravi. Utque clariùs intelligas, quàm ego Tibi placere ſtudeam, hanc ipſam epitomen latino ſermone conſcripſi, quòd hunc a te diligi, eoque te plurimùm delectari certò ſciam. Quocirca etſi elegantiam ſtyli, dicendique proprietatem, quam ſcripta a Te redolent, hìc minimè invenies, cum præſertim aliis curis diſtracto latinitatis lepores conquirere haud vacaverit, novum tamen hinc obſervantiæ erga Te meæ argumentum habebis, cum videas, me plura Tibi præſtitiſſe, quàm aut Tu petieris, aut vires meæ paterentur. Vale. Bononiæ
VI. *Kalend. Maii* MDCCXXVIII.

ULYS-

ULYSSES Joſephus è Clariſſima Gozzadinorum Gente, Bononiæ, vetuſta nobilitate, Majorumque gloriâ inter præſtantiſſimas Familias numeranda, natus eſt VI. Idus Octobris, Anno MDCL. Patre Marco Antonio ejuſdem Urbis Senatore, Matre verò Junipera de Leonibus. Ab ineunte ætate liberalibus diſciplinis, eloquentiæ præſertim, mox gravioribus Philoſophiæ, Mathematicæ, ac Juris prudentiæ ſtudiis operam dedit, in quibus quantum profecerit, ex hoc quiſque facilè colligere poterit, quod Doctorum Utriuſque Juris Collegio, nondum Doctor, vixque propugnatis in utrâque facultate theſibus, rariſſimo exemplo fuerit cooptatus, Doctorali poſtmodum laurea ornatus, cum inter Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicos à Hieronymo Cardinali Boncompagno Bononienſem Eccleſiam tunc moderante fuiſſet adſcitus, ac Theologali auctus Præbenda, publici Profeſſoris munus patrio in Archigymnaſio ſuſcepit, atque illud per viginti annos ſumma cum laude ſuſtinuit. Sacerdos intereà factus, ſed adversâ valetudine tentatus, in Galliam,

& Belgium conceſſit, quôd itinerum beneficio valetudini conſuleret, vireſque debilitatas confirmaret; indeque redux Patriæ, & politiorum literarum ſtudiis, quarum amore ſummoperè flagrabat, incolumis reſtitutus, florentiſſimis in Accademiis, latino, hetruſcoque ſermone ornatiſſimas de propoſitis ſibi argumentis plures habuit Orationes, quarum una in funere prælaudati Cardinalis Boncompagni omnium eruditorum plauſu probata fuit, conceptamque de ſe expectationem cumulatè auxit.

Quadragenario major, urgente rei familiaris cauſsâ Romam profectus ab Innocentio XII. P. O. M. cui, ex quo tempore Cardinalis Bononienſi præerat Legationi, apprimè carus fuerat, benignè exceptus, ac in ſuorum ab intimo cubiculo Nobilium Familiarium numero adſcriptus, Vaticanis in Ædibus, domicilio prius, poſtea in eadem Baſilica Canonicatu, & Præbenda Theologali donatus eſt, qua in facultate ad Sacroſancti Concilii Tridentini canonicas ſanctiones, ſtatis menſibus, quod itidem Bononiæ laudabiliter fecerat, doctè, eruditèque ex cathedra diſſeruit: cujus fama in dies percrebreſcente, quotquot in Urbe tunc aderant clariores, atque in omnigena literatura præſtantiſſimi Viri illum certatim excoluere, atque ad altiores capeſſendos honores natum, non irrito vaticinio, prædixere: Paucis ſiquidem interjectis menſibus illum Innocentius à ſupplicibus Libellis, mox Apoſtolicorum Brevium ad Principes à Secretis aſſumpſit, quæ quidem munera, tantâ cùm probitatis, & fidei laude geſsit, ut præcipuum authoritatis, & gratiæ locum apud Ipſum obtinuerit, qui ejus dexteritate, & ſolertiâ in arduis Sedis Apoſtolicæ negotiis frequenter uſus, quod omnia ejus conſilio, & operâ ſe-

fęlicem ſortirentur effectum, ipſi uni referebat acceptum: Immò & honores ampliſſimos egregio Viro familiaritate, & benevolentiâ ſibi conjunctiſſimo proculdubio detuliſſet, niſi ipſe calculi morbo, quo tunc vehementer cruciabatur, præpeditus, vacare à negotiis, Aulâ egredi, & Florentiam verſus, quò difficillimam ſubiret curationem, iter arripere coactus fuiſſet. Quod cum, Deo auxiliante, ei fœliciter contigiſſet, Romam regreditur, atque amantiſſimo Pontifici de illius reditu anxiè ſolicito non parum gaudii attulit. Interea muneribus ſibi antea demandatis integrâ valetudine ſe totum adjecerat, cum Innocentio XII. vitâ functo, in ejus locum ſuffectus eſt Clemens XI., qui ſanè communium ſtudiorum, intimæque conſuetudinis cauſsâ Gozzadinum impensè diligebat: igitur alterutrum, quod ſibi magis placeret, ex duobus muneribus retinendum obtulit, ac ſibi Epiſtolarum in forma Brevis ad Principes à Secretis confirmavit: Quas quidem Gozzadinus cùm germanâ latinæ locutionis caſtitate, tùm tanti, ac Sapientiſſimi Pontificis Majeſtate dignâ eloquentiâ, ſcitè, ornatèque conſcripſit, ut proinde magnam ſibi nominis dignitatem apud omnes comparaverit. Nec impari ſtudio, atque labore, ſummis licet, & gravioribus curis diſtentus, humaniores, quas Adoleſcens excoluerat, literas proſecutus eſt; nam diſertiſſimam, atque numeribus omnibus abſolutam de liberalium artium uſu, atque dignitate, quas Clemens honoris, & liberalitatis argumentis in aulâ Capitolii excitaverat, Eminentiſsimorum Patrum adſtante Senatu, atque univerſo plaudente Sapientum Virorum cœtu, Orationem habuit, quæ typis evulgata commendari non eget, cum per ſe ipſa loquatur.

Virum igitur tantâ laudis, meritorumque acceſsione conſpicuum ſucceſsivo honoris incremento extulit Clemens, illumque primò Inſulâ Theodoſienſi ornatum, poſtmodùm verò inter Solio Pontificio Epiſcopos aſsiſtentes evectum, variis conſultationibus, ac Reipublicæ Chriſtianæ negotiis, ut difficillimorum temporum ratio poſtulabat, ſæpiùs adhibuit, totque ſtudiis, & laboribus de Apoſtolica Sede optimè meritum decimo ſeptimo Kalendas Maii Anni MDCCIX. in Conſiſtorio ſecreto Sacræ Rom. Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem renuntiavit, Titulo Sanctæ Crucis in Hieruſalem, quem poſtea ad obitum uſque conſtanter retinuit, Ipſi aſſignato.

Ampliſſimam Dignitatem aſſecutus vix credere eſt, quantâ animi moderatione, quantâque exultantis Urbis gratulatione illam geſtaverit: nihil ſæpius, magiſque in votis habens, quàm, ut quæ tanto oneri dignè ferendo ſufficerent vires ab Omnipotenti Deo munerum largitori conſequeretur, & ut Beneficentiſſimo Principi pro ejuſmodi ſibi collato honore gratias non modò haberet, verum etiam quas poſſet cumulatiſſimè redderet. Idcircò aſſuetâ apud ipſum vivendi ratione nihil immutatâ, labores, quibus anteà fungebatur, impenſiùs ſuſtinuit. Interim Forocornelienſi Eccleſiæ, quam Philippus Antonius S.R.E. Cardinalis Gualterius ad Tudertinam translatus reliquerat, ab eodem Clemente præficitur, cujus regimini præſens adeſſe per biennium ferè nequaquam potuit: quippe qui Pontificem in ſuburbanis commorantem ſequi, Primi Adminiſtri Status vices implere, variiſque Congregationibus, quibus adnumeratus fuerat, urgente rerum gerendarum ſummâ, intereſſe ab ipſomet Pontifice juſſus fuerit. Forocornelii ingenti Civium gra-

gratulatione exceptus, primam ſuſcepti muneris curam in eo poſuit, ut graviſſimas inter Capitulum, & Magiſtratum longo annorum ſpatio exagitatas contentiones componeret, quod brevì, pro eâ, qua maximè pollebat in agendis dexteritate, fœliciter adeò obtinuit, ut ſublatis hinc inde controverſiis, ſtabilis inter utroſque ſancita fuerit concordia, qua in re omnium ſibi amorem, & exiſtimationem meritò conciliavit. Apoſtolicis exinde Legationibus illum Clemens decoravit, alterâ in Æmilia, & Exarchatu Ravennæ, in ſumma quidem temporum difficultate, cùm ob annonæ caritatem, tùm ob frequentiſſimas fluminum, quæ Ravennam Urbem Æmiliæ Principem præterfluunt, exundationes, qua occaſione elegantiſsimam de ipſis fluminibus avertendis ad Senatum, & Conſules Orationem ſcripſit; nec non & propter Piratarum Dulcinienſium incurſus, quibus tota tunc Provincia infeſtabatur: Alterâ, pro auſpicandis Pontificio nomine Nuptiis Eliſabethæ Farneſiæ Parmæ tunc degentis, quæ Philippo V. Hiſpaniarum Regi deſponſa fuerat. In hujuſmodi autem Legationibus quanta in illo fuerit Principatus gerendi majeſtas, quanta & in deliberando prudentia, & in conficiendo celeritas, quanta denique cœterarum virtutum, quæ Principe dignæ ſunt, argumenta fuerint, ſi ſingillatim explicare velim, propoſitæ brevitatis modum excedam. Extant adhuc monumenta plurima, quæ Gozzadini clementiam, & magnanimitatem abundè teſtantur.

Jacobo III. Magnæ Britanniæ Regi Galliâ Romam proficiſcenti ad Æmiliæ fines Pontificio nomine occurrit, atque in Ædibus Epiſcopalibus magnificè exceptum per totam Provinciam deduxit. Eâdem pla-

planè laude, qua ſe Principem geſsit, Antiſtitis partes in omnibus, quæ muneris ſui eſſe noverat, executus eſt. Quocirca eximias, quas in univerſi Gregis Vigilantiſsimo, atque Sanctiſsimo Paſtore Clemente XI. diù præſens ſuſpexerat virtutes æmulari viſus eſt; Hunc enim inter Romanos Pontifices rerum geſtarum merito magis, quàm nomine Maximum ampliſsimo laudis præconio exornare, cunctiſque prædicare magno cum animi ſui oblectamento ſolebat. Ea propter ſacrà Viſitatione vix abſolutâ, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ cuſtodiendæ valdè ſolicitus Diœceſanam Synodum coegit, quam poſtea ſanctiſsimis legibus inſtructam, aureisque Divi Petri Chryſologi Urbis Forocornelienſis Civis, & Patroni ſententiis exornatam, atque ſuffultam typis èvulgavit. Forocornelienſium Epiſcoporum Hyſtoriam ab eruditiſsimo Viro Antonio Maria Manzonio Juris U. Doctore, Cathedralis Eccleſiæ Canonico longo labore collectam, ſummoque ſtudio, atque perpolitæ locutionis ſtylo exaratam magno ſumptu publicæ tradidit utilitati. Templum in honorem Divi Juliani Martyris Deo ſacrum, quod Abbas Cajetanus Gozzadinus Canonicus Regularis Lateranenſis Frater, Arâ principe marmore peregrino compactâ, in elegantiſsimam formam redegerat, ſolemnibus adhibitis cæremoniis, frequentiſsimoque Civium conventu, pridie Idus Octobris Anni MDCCXIV. conſecravit.

Eccleſiæ ſuæ jurium ſtrenuus aſſertor, quæ temporum lapſu deperdita fuerant reſtituit, quæque uſurpata, vel ſubtracta vindicavit, Epiſcopalibus ditione, atque cenſu amplificatis. Quo tempore apud Hiſpaniarum Reginam Sedis Apoſtolicæ de latere Legatum agebat, Forocornelienſis Eccleſiæ decori, atque

que

que ornamento proſpiciens Dignitate inſignitis, atque Canonicis uſum Rocheti, & Cappæ magnæ, ut vocant, ampliſsimo firmato Diplomate, benignè indulſit. Anno Jubilæi MDCCXXV. Peregrinis omnibus Æmiliam tranſeuntibus, qui Religionis ergo Romam petebant, Sacerdotibus peculiari domo, cæteris verò publico Xenodochio receptis cibaria paravit, ac propriis manibus qualibet nocte, etiam intempeſta, miniſtravit, eoſque cibis, & verbis refectos addito viatico dimittebat. Eccleſiæ, & Hoſpitalis Divi Lazari in ſuburbanis Placentiæ perpetuus Adminiſter, Templo in ejuſdem honorem ſuo juſſu à fundamentis erecto, ſolemni ritu, magnâque Populi frequentiâ benedixit. Montanas, atque impervias Diœceſis Parrochias repetito terræmotu ſemirutas, vel disjectas, urgente licet æſtu, præſens inviſit, erogatoque, quod à Benedicto XIII. impetraverat ære, ab interitu vindicavit. Nobilium Familias, vel inter ſe diſsidentes ad concordiam redegit, vel inopiâ laborantes aſsignato ſubſidio adjuvit, & egentes, quotquot aderant, vel nudos operuit, vel fame confectos diurnâ ſtipe ſuis manibus ſublevavit, in eo totus, ut miſeris opem ferret. Pauperum ægrotantium valetudini, publicique, quo detinebantur Noſocomii ornamento opem, & operam largiùs impendens, ferrea lectiſulcra confici, lineis conopeis obtegi, omnimodâque ſuppellectili inſtrui curavit. Apud Lugum nobile Imolenſis Diœceſis Oppidum non minora reliquit pietatis argumenta: Alieno ære imminutam Montis Pietatis rem pecuniariam novis ſancitis legibus reſtituit, immò & auxit. Ibidem in extruenda, quam vocant, Suffragii Sacra Æde, primarium lapidem de more benedictum, unà cum numi-

miſmatibus rem teſtantibus altiori fundamento propriis manibus jecit. Eodem loco mulierem opulentiori Hebræorum familiâ progenitam, ſtudioque Catholicæ Fidei ſuccenſam paternâ domo eduxit, & apud honeſtam Matronam, quo tutius, atque facilius ejuſdem Fidei rudimentis inſtrueretur, diù detentam, poſt ejuratas judaicæ perfidiæ ſuperſtitiones, in Templo Divi Franciſci ſplendidè ornato, magnoque populorum ex finitimis locis concurſu, Pontificalibus indutus ſolemniter baptizavit, ſacro Chryſmate delinivit, atque charitatis, & lętitiæ verbis palam allocutus, Sacra Synaxi refecit, proque redimenda à Parentibus, quam illi contendebant, dote, conſilio, & operâ plurimum adjuvit. Crediti ſibi Gregis forma factus ex animo, Clericorum mores exemplo, atque vigilantiâ continuit; ſique illorum quempiam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſemitis aberrantem comperiſſet, hunc ſecretò accerſitum, atque in ſpiritu lenitatis admonitum ab omni prorsùs lapſu ſuaviter revocabat. Animarum curam iis tantummodo demandavit, qui doctrinâ, pietate, morumque probitate ſupra cæteros eminerent, iis omninò poſthabitis, qui conquiſito Patrocinio (ut Ipſe ajebat) Sanctuarium Dei vel hæreditate poſsidere, vel per feneſtras ingredi temerario auſu contendebant. A Re Divina, ſtatiſque cæremoniis, ac ſolemnibus potiſsimum Sacris, quæ ſumma religione, ac majeſtate peragebat, nunquam niſi morbo detentus abſtinuit. Divinam Pſalmodiam flexis genibus quotidie recitabat, ſtatiſque horis aſceticos libros orando meditabatur. Ægrotos omnes, vel infimæ plebis, inviſere, mortique proximos dulci, pioque alloquio conſolari, atque Pontificiâ benedictione recreare in more habuit. In Sacramentis fre-

frequentiſſimè adminiſtrandis, in Domus Dei decore diligendo, in Sacrorum Rituum diſciplinâ excitandà, ità ſemper aſſiduus, ut nullis parcens laboribus, atque periculis, nihil prius, & antiquius putaret, quàm ut hujuſmodi officiis Epiſcopali munere ſanctiſſimè fungeretur; totque negotiis, atque curis quotidiè implicitus, nemini ipſum adeundi, alloquendique copiam negavit: quinimmò peregrè venientibus Ipſe ultrò ſe prodebat, præcipuè pauperibus, ut re, cujus gratiâ advenerant, fœliciter abſolutâ, ad propria citius reverterentur. Domui ſuæ benè Præpoſitus domeſticos omnes, quos tanquam filios chariſſimos habuit, intimo amore proſequi, exemplis inſtruere, atque ad omnia pietatis, & religionis officia excitare verbis nunquam deſtitit, & operibus. Pontificiis Comitiis ſemel, iterumque interfuit, parumque abfuit, ut rarâ meritorum præſtantiâ, & unanimi omnium conſenſu Pontifex Maximus deligeretur.

Senio tandem confectus, atque inſidiosâ vi morbi correptus, Sacramentis ſummâ cum religione ſuſceptis, vitâ deceſſit XIII. Kalendas Aprilis, Anni MDCCXXVIII., Ætatis annorum LXXVIII. Eccleſiâ ſanctiſſimè adminiſtratâ per annos decem, & octo, Urbe Forocornelienſi Portis, Viis, Horreis, aliiſque ædificiis exornatâ, Diœceſi pluries luſtratâ, Epiſcopali Tabulario variis, magniſque codicibus reſtituto, & aucto, novo Seminario ex parte à fundamentis excitato, Cathedrali Eccleſiâ, quam vivens ditiſſimâ ſuppellectili ornaverat, ultimis tabulis largè, munificèque locupletatâ, incredibile apud omnes de ſe deſiderium reliquit. Alexander Maria Gozzadinus Senator Bononienſis Fratri amantiſsimo, ac de ſe optimè merito juſta perſolvit, Illumque in Cathedrali Eccle-

cleſia ſplendido funere efferri, ejuſque memoriam eleganti marmoreo ſepulcro decorari mandavit.

Vir fuit ſtaturâ procerus, facie decorus, fronte lœtâ ſemper, atque tranquillâ, inceſſu gravis: Sermonis affabilitate, morumque elegantiâ erat omnibus valdè amabilis, notos perindè, ac ignotos ſingulari comitate ſibi conciliabat, nemini negare ſolitus quicquid poſſet inculpatè concedi, præſertim verò literatis hominibus, quibus ſemper ſe fautorem præbuit munificum, ac valdè liberalem. In utrâque fortunâ animi moderatione extitit admirandus, principaliter verò in plurium ejus chariſſimorum fratrum immatura morte æqua fronte perferenda; mirificus Juſtitiæ cultor, hanc æqua lance omnibus ubique adminiſtravit. In Patriam, Civeſque ſuos beneficus, celebrem Accademiam Clementinam honorum impetratione, munerumque largitate plurimùm juvit. Etſi cum omnibus valdè familiaris, in aperiendis tamen animi ſui ſenſibus erat diligentiſsimè cautus. Otii maximè impatiens, nullum tempus habuit, quod ſibi vacaret, aut lectioni, aut ſcriptioni, aut negotiis, rebuſque pertractandis ferè ſemper intentus. Summâ licet in ſenectute ſenſibus integer, viribuſque prævalidus, quoad vivere deſiit, ab opere nunquam ceſsavit. Plurima extant præclari ejus ingenii monumenta, verſibus, ſolutâque oratione elegantiſsimè ſcripta, inter quæ de latinorum verborum delectu, aurea, ut ita dicam, Collectanea, quæ omnia typis evulganda communi literatorum voto enixè exoptantur.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE